



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibus

De Deo Effectore Creaturarvm Omnium. In tres præcipuos Tractatus
distributa. Quorum primus De Angelis

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

XXI. Vtrum in instanti possit Angelus locum mutare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84413)

suratur per instans, vel tempus discretum in actibus intermis existens, sed per tempus continuum, vel nostrum, vel angelicum in ipso motu locali existens, vt postea dicam.

11.
Sive etiam
de externis.

Si verò sit sermo de operatione externa, seu extra voluntatem Angeli transeunte, hæc non est nisi motus localis, vel Angeli, vel corporis: & quidem de motu inherente in Angelo manifestum est debere esse vnum, saltem per vnionem partium, quæ in tali motu est omnino necessaria, vt verè sit continuus. Nihilominus tamen secundum partes est ibi pluralitas quædam, non actus, sed potentia, vtique quoad diuisionem, seu discretionem. Motus autem corporis potest quidem tantum vnus esse, & continuus, vt in exemplo de motu Habacuc, vel de Philippo, & similibus: tamen etiam potest fieri per plures, vt si Angelus in eodem instanti, in quo mouet vnum hominem, vsque ad talem locum, incipiat mouere alium. Ita vt immediatè post illud instans hunc rapiat. Tunc enim motus diuersorum hominum erunt plures, & discreti propter subjectorum distinctionem, motus verò Angeli erit continuus, quia subiectum est idem, & inter partes eius non intercedit tempus, neque quies, quia idem instans, quod est primum non esse prioris motus vnus personæ, est vltimum non esse sequentis motus alterius personæ: in vno autem instanti non est quies, neque interruptitur motus. Et hoc est satis clarum in nostra sententia, habet autem difficultatem, in opinione dicentium Angelum moueri tantum per denominationem extrinsecam à motu corporis. Quam difficultatem auctores illius opinionis fortasse dissoluent, aut effugient, mihi autem probat, & confirmat sententiam illam veram non esse.

12.
Ad primam
rationem
in n. 1.

Nec contra hanc primam assertionem obstat prima ratio primæ sententiæ, quia iam dictum est illud axioma: *In motu continuo mobile partim est in termino à quo, & partim in termino ad quem*, nõ esse necessario intelligendum de partibus mobilis, sed spatij, quia prius partem propinquam, quam remotam acquirit, seu pertransit. Secundum autem argumentum illius sententiæ non est contra nos, sed contra eos, qui ponunt Vbi angelicum omni ex parte indiuisibile, quod falsum reputamus. In tertio verò argumento illius opinionis petitur dubium, an Angelus in solo puncto existens possit moueri motu continuo: quod latè tractat Scotus in 2. distinct. 2. quest. 9. ad 3. principale, & partem affirmantem defendit. Quia etiam contra Aristotelem opinatur, punctum etiam si esset à linea separatum, posse moueri continuè. Quæ sententia mihi placuit in physica, & hic etiam placet de Angelo, quia vnum rectè sequitur ex alio, & quia non est necesse, vt dixi, vt mobile habeat partes, secundum quas partim sit in termino à quo, & partim in termino ad quem: sed satis est, quod totum mobile prius acquirat quamcumque priorem partem spatij, quam posteriorem. Hoc autem facere possit Angelus existens in puncto, quasi describendo lineam. Nec obstat, quod tunc angelus necessariò relicturus sit terminum à quo totum simul, qui nihilominus poterit acquirere successiue spatium, vt capite præcedenti in simili declarauit.

C A P V T XXI.

Vtrum in instanti possit Angelus locum mutare.

Statuitur
assertio af-
firmans
tripartita.

1. **R**espondeo, posse Angelum mutare locum in instanti, tam acquirendo totum vnum locum, & deserendo totum alium, quam acquirendo, vel deserendo partem tantum loci, priori retenta. Hæc assertio quoad priorem generalem partem valde com-

munis est: tene illam Albert. in 1. dist. 37. art. 2. & 24. Gregor. in 2. dist. 6. q. 3. art. 2. qui citat Hibernicum. Major dist. 2. q. 12. & ibi Gabr. q. 3. art. 3. & Scot. q. 11. & 12. & Marfil. in 2. q. 7. a. 3. & Henr. quod. 13. q. 7. Vnde probetur, aliud fundamentum est præmittendum, nimirum Angelum existentem in loco diuisibili posse totum illum simul, & sine successione dimittere. Probatur, quia permanentia in illo loco, & in qualibet parte est voluntaria Angelo, & partes illius præsentis non habent ordinem per se, nec dependentiam vnus ab alia, ergo sicut potest Angelus quamlibet illarum in hoc instanti dimittere, ita & omnes simul.

Et eadem ratione potest Angelus simul acquirere totum alium locum, etiam diuisibilem. Probatur, quia non habet extensionem partium in loco, ita vt habeat partem suam in partem loci: sed totus est in toto, & totus in qualibet parte. Hinc ergo est, vt non necessario requiratur successione in acquisitione loci diuisibilis. Primò, quia sicut simul est totus in toto, & in qualibet parte, ita etiam potest simul incipere esse in illis, quia non est maior repugnancia in primo esse, quam in permanentia. Secundo, quia necessitas successione in motu locali corporis ex quo provenit, quod vna pars debet expellere aliam, vt possit in locum eius ingredi, quia non possunt esse simul, & similiter pars, quæ locum nouum acquirat, debet relinquere priorem, quia non potest simul esse in vtroque. In Angelo verò non inuenitur hæc necessitas successione, quia potest distantem partem loci acquirere, simul manendo in propinqua, neque habet partes, quarum vna expellat aliam, vt subintret in loco partiali eius, sed totus voluntariè se applicat ad totum, & ad quamlibet partem. Ergo potest tota illa acquisitio tota simul fieri.

Dices intelligi non posse angelum transire ad partem distantem, nisi prius sit in propinqua, nisi supponatur posse transire ab extremo sine medio. Respondeo cum Scot. dicta questione 12. non esse hoc necessarium, quia tunc angelus non transit sine medio, cum in toto illo sit. Imò nec potest dici transire, cum ibi permaneat. Quamuis ergo secundum quendam naturæ ordinem dici posset prius natura occupare partem proximam, quam remotam, non tamen prius duratione, quia in eodem instanti, in quo intrat priorem partem, quasi transit ad aliam, quia nulla est repugnancia, nec mora necessitas. Quod rectè confirmatur exemplo animæ rationalis, quæ in generatione hominis simul incipit esse in corpore extenso, & certæ quantitatis: & in morte hominis simul definit totum, & omnes partes, quas immediatè ante illud instans informabat. Ita ergo cum proportione dicendum est de angelo, & ita in hoc fundamento non discrepant Thomistæ à cæteris Theologis, vt apertè colligitur à D. Thoma dicta q. 53. art. 1. & 2. & in 1. dist. 37. q. 4. art. 2.

Ex hoc ergo fundamento probatur facile assertio posita. Nam mutatio, quæ fit tota simul, necessariò fieri debet in instanti indiuisibili, sed angelus si vult, mutat totum locum simul; ergo per mutationem indiuisibilem, quoad successione, id simul totam factam, ergo in instanti. Secundo, quia quando Angelus sic mutatur, solum mutatur in eo instanti, in quo acquirat terminum ad quem, & relinquit terminum à quo; ergo tota mutatio est in solo illo instanti. Probatur consequentia, quia motus formaliter denominat mobile mutari, seu moueri, & idèd quando motus est in toto aliquo tempore, in toto illo etiam verè dicitur mobile mutari, ergo è conuerso, si mobile in vno tantum instanti mutatur, in solo illo est instantanea mutatio, & non in tempore. Antecedens a. est intelligendum, quando Angelus vnum tantum locum integrum acquirat, & alium relinquit: nam hoc satis est, vt verè mutet locum.

locum, quid autem dicendum sit, quando plures similes mutationes facit, postea videbimus. Sic ergo declaratum antecedens videtur per se evidens, quia angelus non mutatur, quamdiu permanet in termino a quo. Tum quia in tota illa duratione eodem modo se habet tunc, quo prius, ac subinde quiescit, ergo non mutatur. Tum etiam, quia in tota illa duratione, nec amittit, nec acquirit aliquid loci, ergo non mutatur localiter, ergo solum mutatur in eadem duratione, in qua acquirit terminum ad quem. Sed illum terminum acquirit in instanti, ergo tota illa mutatio tantum est in instanti, & solum ordine nature antecedit suum terminum, vt in ceteris mutationibus instantaneis fieri solet.

Respondent sectatores contrarie sententiae angelum tunc nec in termino a quo, nec in termino ad quem mutari, sed in vtriusque successione. Quod sumitur ex D. Thoma in *distinct. 37. quest. 4. artic. 1. ad 3. & sequitur Capreolus supra*. Verum tamen ratio facta conuincit, angelum nullo modo mutari, quamdiu manet in termino a quo, neque ibi habere aliquam partem motus, seu mutationis, ergo non potest dici moueri in successione vtriusque termini, ita vt sit vera successio in reali duratione, quia oportet in vtroque instanti collectiue sumptis moueri, & partialiter in singulis. Dixi autem ibi non esse successione in duratione, quia inter terminos dici potest esse quadam successio, quatenus ad acquisitionem vnius amittitur alius, illa tamen in instanti fit: sicut inter generationem, & corruptionem contingit, quia idem instans inceptionis vnius termini, est primum non esse alterius, vel e contrario vltimo esse termini a quo immediate succedit acquisitio termini ad quem.

Sed hinc sumunt occasionem instandi, quia ibi sunt plura instantia, vnum prius, & aliud posterius, ergo est ibi tempus satis discretum, ergo in illa mutatione consumitur tempus, & consequenter non fit in instanti. Negatur tamen hanc vltima consequentia, quia licet ibi sint duo instantia, non tamen verumque mensurat mutationem, nec est duratio eius, sed vnum est duratio quietis, seu permanentie in termino a quo, aliud vero est tota duratio mutationis: & ideo in illo tantum est mutatio non in tempore, quasi ex illo duplici instanti composito. Vnde (vt rem magis explicem) illud tempus est quasi heterogeneum, quia est compositum ex duratione quietis, & duratione mutationis, quae sunt diuersarum rationum, & ideo male inferitur mutationem esse in tempore composito ex vtroque illo instanti. Sicut male etiam inferitur, quietem angeli esse in toto illo composito, quia est in altero instanti illius.

Sed instans tandem aliqui, dicendum esse Angelum iam moueri in vltimo instanti, in quo est in termino a quo, quia in illo incipit moueri. Sed hoc falsum est, & contra Philosophiam, quia in illo instanti quiescit res, quod est vltimum instans intrinsecum quietis, vt probatum est, & D. Thomas etiam affirmat, ergo tunc non mutatur intrinsecum, quia hae priuatiue opposita sunt. Vnde friuola est probatio, quia tunc incipit angelus moueri, imò inde oppositum concluditur, quia illa est inceptio extrinsecum, quae in corporibus ita explicatur à Philosophis, nunc non est motus, & immediate post erit, ergo ex tali inceptioe potius inferitur mobile, quamdiu est in termino a quo non mutari. Eodem autem modo explicanda est illa inceptio in Angelo, quod est manifestum, quando post quietem immediate sequitur motus successiuus. Quando verò sequitur mutatio instantanea acquisitiua totius termini ad quem, tunc talis mutatio incipit intrinsecum per primum sui esse, quod etiam est primum esse termini ad quem: & hoc modo non est verum talem mutationem incipere, quamdiu angelus durat in termino a

Suarez de Angelis.

quo, quia non potest de illo verè affirmari, quod tunc mutetur, vt probatum est. Neque est necessarium designare inceptioem extrinsecam, vbi intrinseca indiuisibilis inuenitur. Si quis autem velit ita loqui, quia illa instantia suo modo immediata sunt, mutationem illam in vtroque incipere, dicens, in vno intrinsecum, & in alio extrinsecum, non est de modo loquendi contendendum: nam inceptio mutationis, quae dicitur esse in vltimo instanti quietis, extrinseca est, & per illam negationem explicanda, *nunc non mutatur, &c.* & ideo ex illa non sequitur, angelum mutari in vltimo instanti quietis, sed potius inferitur oppositum, vt declarauimus.

Tertio principaliter confirmabitur assertio, & quasi inductione ostenditur declarando posteriores partes eius, quae tres modos comprehendunt, quibus supra diximus, angelum mutari posse. Primus est acquirendo tantum partem loci, nihil dimittendo. Et in hoc modo evidens est assertio, quia si angelus existens in loco adaequato velit acquirere partem loci, quae locus adaequatus compleatur, priori parte retenta, subito, & sine successione potest id facere, vt supra probauimus, ergo illa acquisitio loci partialis in instanti fit. Sed ibi non est alia mutatio, quia nihil amittitur, nec ibi est propriè terminus, a quo potius, sed tantum priuatiuus, scilicet carencia illius loci partialis. Ergo tota illa mutatio est in instanti, neque ibi est vmbra successioneis, magis quam fit in illuminatione, cuius terminus a quo est carencia luminis. Secundus modus mutationis localis angeli est merè priuatiuus, in quo totus prior locus amittitur, sed aliquid eius, permanendo in reliquo. Et de hac eadem est demonstratio quod in instanti fieri possit, quatenus Angelus potest simul totam illam partem relinquere, vt probatum est. Nam inde euidenter sequitur totam illam mutationem in instanti fieri, vt patebit facillè, probationem in praecedenti membro applicando.

Tertius modus mutationis localis angeli est acquirendo vnum locum, & deserendo alium, in quo solus Gabriel, inter auctores, quos pro assertione citatus, ab illa dissentit, propter argumentum illud, & supra num. 3. proposui contra mutationem ad locum distantem, scilicet, quia darentur duo instantia immediata, idem enim sequitur de transitu ad locum propinquum si fiat simul. Veruntamen eadem est responsio: nam in primis non sequuntur necessario duo instantia immediata, quia vnum, & idem instans potest esse initium intrinsecum termini ad quem, & finis extrinsecum termini a quo, & ita in eodem instanti fit intrinsecum mutatio positiua, seu acquisitio termini ad quem, & mutatio priuatiua, seu desitio termini a quo. Et ita non est necessarium, vt immediate ante hoc instans praecedat aliud, sed tempus quietis, seu permanentie Angeli in priori loco: sicut contingit etiam in mutationibus materialibus, quas inter positiuos terminos fieri contingit, vt cum ex homine fit cadauer, vel ex ligno ignis. Et in mutationibus intellectualibus idem inuenitur, quando Angelus ex vna cognitione transit in aliam.

Atque ex hoc vltimo exemplo sumitur alia responsio. Quia in his mutationibus spiritalibus non est inconueniens dari duo instantia angelica immediata modo supra tacto, & in *Metaphysica* latius declarato. Hoc ergo remoto impedimento evidens est assertio etiam quoad hanc partem, quia acquisitio vnius loci, & amissio alterius sunt mutationes distantiae: vna positiua, & altera priuatiua, & quilibet earum per se sumpta potest in instanti fieri, ergo etiam simul. Probatur consequentia, quia illae in se non habent repugnantiam, quia non sunt priuatiua, & positio eiusdem formae, sed diuersarum, & aliquo modo inter se repugnantium. Vnde potius se ne amissiuuant, quatenus vnaquaeque est causa alterius in suo

Et 2

8. Probatur tertio assertio inductione, quoad reliquas eius partes.

In primis quoad puram acquisitionem loci.

Deinde quoad puram amissionem.

9. Quoad acquisitionem tamen, & amissionem simul Gabri dissentit.

Eius nihilominus ratio soluitur.

10. Soluitur secundum.

Probatur etiam dicta pars assertiois, de acquisitione aliquo modo inter se repugnantium. Vnde potius se ne amissiuuant, quatenus vnaquaeque est causa alterius in suo sione simul.

5. Aduersarioru responsio ex Diuo Thoma, & Capreolo. Refellit.

6. Instantia insurgit. Dissoluitur.

7. Altera instantia remouetur.

genere: & ideo possunt optime esse simul duratio-
ne, cum ordine naturæ inter se, & in hoc sensu vna
succedit alteri, non successione durationis, sed ordi-
nis. Ergo tota mutatio ab vno termino ad alium, quæ
est ex illa duplici, & quasi partiali duratione compo-
sita in eodem instanti fit.

11. Neque contra hoc obstat fundamentum primæ
sententiæ, quoad alteram ejus partem capite præce-
denti relatam. Respondetur enim primò, quòd li-
terariæ sententiæ in corporebus quies necessariò duret vsq; ad vlti-
mum instans existentie mobilis in termino à quo, in
20. n. 2. re- Angulo id non est necessarium. Ratio differentie est,
sponso pri- quia mutatio loci in corpore quanto, non potest nisi
ma. per motum successiuum, & continuum fieri: motus
autem successiuus non potest incipere in instanti in-
trinseco, sed necessariò per vltimum non esse incipe-
re debet, & ideo necesse est, vt mobile vsque ad illud
instans intrinsecè quiescat, iuxta definitionem quie-
tis datam ab Aristotele, & supra relatam. Nam li-
cet non desint Philosophi, qui hoc negent, quia quies
non est in instanti: sed immeritò, quia licet quies
non sit in solo instanti, tanquam in adæquata men-
sura, potest esse in instanti, tanquam in termino in-
trinseco existentie suæ. At verò in Angulo non est
necessarium quietem ita definire, etiam secundum
coexistentiam ad nostrum tempus, quia potest An-
gelus in instanti totum aliquem locum acquirere, vt
ostensum est: & ideo illud idem instans potest esse
primum non esse quietis in priori loco, vt satis de-
claratum est. Solum ergo, quando Angelus post qui-
etem in vno loco vult transire successiuè ad alium,
necessarium est, vt quies in præcedenti loco duret
vsque ad aliquod vltimum instans, quod nos non
negamus.

12. Secunda responsio addi potest, dato antecedenti
Responso (scilicet, quietem angeli definire per vltimum sui
secunda. esse) negando consequentiam, quia post vltimum
instans quietis potest immediatè sequi mutatio, seu
acquisitio alterius loci facta in instanti. Quia (vt sæ-
pè dixi) in angulo possunt dari duo instantia im-
mediata, quantum secundum coexistentiam ad nostrum
tempus necessarium sit, vt si illud instans angelicum,
quod est vltimum quietis, coexistit intrinsecè in-
stanti nostri temporis, aliud in quo primò acquiri-
tur alius locus, coexistat priori nostro, quod se-
quitur immediatè post instans. Neque hoc secun-
dum est inconueniens, quia duratio angeli indiuisi-
bilis de se permanens est, & potest coexistere toti ali-
cui temporis, existens tota in toto, & tota in qualibet
parte ejus, quantumcumque minima, seu minori, &
minori in infinitum, & ideo potest incipere coexi-
stendo temporis, vt in alijs locis, vt supra etiam dictum
est, & in lib. 5. & 7. necessariò erit repetendum.

13. Ad primam confirmationem fundatam in il-
lo principio, Id quod mouetur, aliter se habet nunc, quam
confirmati- prius, respondeo dupliciter posse intelligi, scilicet, su-
onem in eo- mendo illud nunc, distributiue, vel indefinitè, & neu-
de in cap. 20. tro modo repugnare nostræ assertioni. Nam priori
num. 2. modo sensus est, illud moueri, quod in quolibet in-
stanti signato post aliquam partem temporis aliter
se habet nunc, quam prius. Et in hoc sensu est vera
propositio de motu rigorosè sumpto, qui per con-
tinuam successione fit. Vnde ex illo principio sic
sumpto solum concluditur, Angelum non sic moue-
ri in instanti, quod verissimum est. Posteriori au-
tem modo sensus est in omni motu latè sumpto, seu
mutatione, non posse aliquid verè dici mutari, do-
nec possit signari instans, in quo mobile aliter se ha-
beat nunc, quam prius. Et in hoc sensu verum et-
jam est illud principium, sic tamen magis confirmat,
quam impugnat assertionem positam, quia Ange-
lus in vno instanti, in quo acquirat locum totum si-
mul aliter se habet quam prius, & ideo tunc verè
mutatur, & non antea, quia antea non aliter se ha-
bebat.

Ad secundam confirmationem fundatam in alio
principio, quòd omnis mutatio instantanea incipit
seu fit ad definitionem motus successiuus, & tanquam
terminus ejus. Respondetur, duobus modis pos-
se mutationem instantaneam incipere ad definitio-
nem motus successiuus. Primò tanquam per se ter-
minum ejus indiuisibilem, eisdemque generis, ac
de se habentem positionem in continuo. Secundo,
tanquam terminum secundarium, & quali per acci-
dens, ad intrinsecam compositionem, & termina-
tionem alterius motus successiuus, licet sub alia rati-
one possit habere inter se ordinem alicujus causali-
tatis per se, quæ inter res diuersi generis esse potest.
De priori mutatione est vera illa propositio, tam in
corporalibus, quam in spiritualibus motibus, quia
in omni motu successiuo dantur mutationes in-
stantaneæ indiuisibiles continuantes motum, & in
termino ejus etiam datur similis mutatio indiuisi-
bilis, quæ est consummatio termini ad quem, &
primum non esse successiuus motus, & ejusdem ge-
neris cum illo, & ejusdem rationis cum mutationi-
bus intermedijs continuantibus motum. Et hoc to-
tum in motu successiuo angeli intensionitur, quia ad e-
jus continuitatem, & terminationem necessarium
est. Sic autem illud principium non obstat assertio-
ni posita, quia mutatio indiuisibilis, per quam An-
gelus subito locum aliquem acquirat, est alterius ge-
neris, & indiuisibilitatis. Quia non habet positio-
nem in continuo, & per se permanens est, & ex illa
non potest componi quantitas continua, sed ad
summam discreta, vt infra dicam, & ideo per se non
habet talis mutatio, quod fit terminus successi-
uus.

At verò propositio illa in posteriori sensu accep-
pta habet locum in materialibus mutationibus non
verò in spiritualibus. Et hoc differentie est, quia in
corporibus solet prærequiri motus ad talem muta-
tionem, vel quia agens, & patiens erant remota, &
per motum appropinquant, & in termino motus
propinqua inueniuntur, & hoc modo illuminatio
fit in termino locali motus, vel quia materia erat
indisposita ad introductionem formæ, & per mo-
tum præcedentem disponitur, & ita generatio fit in
termino alicujus alterationis. Quæ causa, vel potius
occasione sunt extrinsecæ respectu propriarum rati-
onum, seu entitatum talium mutationum, cuius
signum est, quia si illa necessitas cesset, poterunt tales
mutationes fieri sine præcedente motu successiuo.
Vt si Deus disponat materiam in instanti, vel creet
luminosum in loco tenebroso: nam tunc tam ge-
neratio, quam illuminatio fit in instanti, non deter-
minando motum successiuum, sed consequenter ad
aliam actionem instantaneam, non ordine duratio-
nis, sed naturæ. Sic ergo in mutatione locali Angelus,
de qua tractamus, cessat illa necessitas, quia nec
mouens, nec mobile distant, cum sit idem Angelus,
nec ad productionem vbi requiritur præuia disposi-
tio, seu alteratio, & ideo per se, & immediatè fit ta-
lis mutatio. Non tamen semper fit, quia agens est
liberum, ac proinde solum requiritur, vt in volun-
tate præcedat volitio efficax mutationis, quæ volun-
tatio in instanti fit, & in eodem efficit mutationem,
per quam totum locum, quem intendit, acquirat.

CAPVT XXII.

Virum ad locum etiam remotum in vno, vel
pluribus instantibus Angelus transire possit.

Resolutio capitis præcedentis de mutatione v-
nius loci in alium vicinum, ac omnino propin-
quum, in instanti euidentior est, & difficultatem non
habet. De loco autem remoto superest aliqua con-
trouer-